



V I R O

Eminenti Claritate & Doctrinâ insigni Spectatissimo, Excellentissimo,

Dn. M. Andreae Corvino VVestensfeldensi Franco, Orat. Prof. Publ. Majoris Principum Collegii Præposito, p. r. Almae, quæ Lipsiæ est, Academiae Rectori Magnifico, Facultatisq; Philosophicæ Adfessori.

Ut &

Ejusdem Facultatis Decano Spectabili & Eximio,

Dn. M. VVilhelmo Aviano Thuringo, Scholæ senatoriæ ibidem Rectori.

Nec non

Dnn. Senioribus, Professoribus cæterisq; Collegii Philosophici Assessoribus, Excellentissimis, Præstantissimis, Humanissimis,

Dn. M. Conrado Bavaro, Saxoni, utriusq; Lingvæ & Historiarum Prof. Pub. & Majoris Principp. Coll. Collegiato.

Dn. Christophoro Preibisio, Silesio J. U. D. Comiti Palatino Cæsareo, Physiol. P. P. Collegiæ, B. Virg. Collegiato.

Dn. Philippo Müllero, Saxoni, Medicina Lic. Mathematicum P. P. Majoris Princ. Coll. Colleg. Academiæ Decemviro, ac Alumnorum Elect. Ephoro.

Dn. M. Johanni Müllero, Misnico, Organi Aristot. P. P. & Jurisconsulto per celebri.

Dn. M. Jacobo Andreae Graulio, Misnico, Lingvæ sanctæ P. P.

Dn. Zachariæ Schneidero Misnico, Med. Lic. P. P. P. P.

Dn. M. Casparo Schuman, Boruffo, Majoris Principp. Coll. Collegiato.

Dn. M. Hieronymo Reckleben, Misnico, Dial. Melanchth. P. P.

Dn. M. Godofredo Raspio, Silesio, Minor Princ. Coll. Collegiato.

Dn. M. Joachimo Pollioni, Silesio, B. virginis Coll. Collegiato.

Dn. M. Johanni Hornschuch, Themarâ-Franco.

Dnn. Patronis, Præceptoribus, Fautoribus & Amicis suis reverendis, observandis, suspiciendis, honorandis hancce dissertationem offert animo submisso

Autor.

DISSERTATIO PHILOSO-
PHICA

DE

LUNA.

THESIS I.



Robè proba illa Philosophi mens est & sententia, quando lib. 1. Rhet. c. 11. ἐν τῷ Σαυμάτῳ, inquit, ἐστὶν ἐπιθυμῆν τῆ μαθεῖν. In admiratione discendi cupiditas consistit. Etenim quis est, qui mirabiles illas & ostento similes luminis in corpore lunari vices admirans de causis earum instrui non abeat?

II.

Ideoq; opellam illam, quam in his & aliis circa hoc sidus notatu dignioribus per vestigandis καὶ δόξα μιν collocavero, ἀμελυσμῶν ἰρι nequaquam arbitror. Illicò autem id, quod res est, aggrediens omnia, quæ de presenti Themate pertractare libet, in quatuor disponam membra, ita ut

Primum in rei definitione,

Alterum in ejus causis,

Tertium in ejusdem affectionibus absolutis,

Quartum verò in respectivis enodandis occupatum

sit.

MEMBRUM PRIMUM.

1. Luna est Planeta infimus, lumine, quod mutatur à sole, splendens dissimili, ut modò crescat, modò de-

A 2

crescat,

925
crescat, ligniterum diebus 27. hor. 7. minutis 43. sec. 5. per-
currens, ad menses definiendos, nocturnas tenebras
temperandas, corporumq; humores moderandos à Deo
ordinatus.

2. Dicitur latinis Luna 1. vel quasi Lucina, quòd lumine
luceat aliena. 2. vel à Φαιρετικῶς à Græco σελλίη, quæ, idem
sidus denotans, in Etymologico magno τὸ σέλας νέον ἔχειν
deducitur. 3. vel ab Hebræo לַיָּה id est, pernoctare, propterea
quòd Gen. 1, 16. hoc luminare à summo Creatore & rerum Diri-
bitore nocti illustranda præfectum fuerit.

3. Germani nuncupant den Mond vel à Græco μῆνη (Lu-
na) vel ab Hebræo נָחַר numerare, sive quòd certâ ingredia-
tur mensurâ, sive quòd & ipsa Luna tempus curriculo suo men-
suret & veluti numeret.

4. Græci præterea etiam eam appellitant ἄριμιον, quasi
ἀεροτόμον, quòd Aerem cursu suo veluti secare videatur,
ut est apud Macrobium lib. 1. Saturn. c. 15. p. 243.

5. Sancta Lingua dicto loco appellat לוֹרֵן לְיָמֵהּ lumina-
re minus, Φωσῆρα τὸν ἐλάσσω, quòd, quàm Sol, non tantum sit
longè minoris quantitatis, sed & debiliori multò splendens lu-
mine, Deut. 17, 3. & Psal. 8, 4. nominatur לוֹרֵן quàm vocem
Frischlinus in Epit. Astron. c. 1. lib. 5. propter vim beneficam &
spiritalem à Sole acceptam, quasi לוֹרֵן לְיָמֵהּ spiritum Dei, dictam
censet.

6. Dicitur Planeta, πλανήτης ἀπὸ τῆς πλανᾶσθαι, ab erran-
do, quia & ipsa distantiam suam à sideribus reliquis hinc inde
omnium maximè mutat.

7. Dicitur infima, quòd iam cursum suum per Zodiacum
spacio præ reliquis brevissimo secundum motum suum proprium
conficit, inq; eâ omnium maximas licet observare parallaxes.

8. Dicitur lumen suum à Sole accipere. Nisi enim ab
hoc

924
hoc illustraretur, nativum ejus lumen (quod tamen an habeat
rationibus sufficientibus hactenus probatum nondum est) pro-
pter debilitatem ad nos transire non posset. Unde Aristarchus
eam esse speculum à Sole illustratum dixit. Vide Gauricum
pag. 197. Et Plutarch. in eruditiss. libello de fac. Lun.

MEMBRUM SECUNDUM.

1. Deum ter Opt. Max. Lunam produxisse non tantum
sacra evincit pagina Et religio, idque prater antiquissimum illum
Et fide dignissimum rerum assignatorem Mosem sapiens ille vir
Sirachus cap. 43, v. 7. eloquitur: μέγας, inqviens, ὁ κύριος ποιή-
σας σελευώλω εν πάσιν εἰς καιρὸν αὐτοῖς, ἀνάδειξιν χρόνος καὶ ση-
μεῖον αἰῶν. Magnus Dominus fecit Lunam, ut suo tem-
pore existat indicium temporum & signum ævi. Sed Et
sanior Philosophia idem persuadet, quando originem hujus
universi Ipsi ascribit, ut videre est lib. 1. de celo c. 4. t. 32. lib. 12. Metaph. c.
7. de Ortu cap. 10. tex. 59.

2. Materia Lunæ statuitur cælestis, à quatuor Elemen-
tis diversa Et distincta, inque corpus solidum redacta, verunta-
men ita, ut alibi densius, alibi tenuius Et rarius existat.

3. Neque enim est aquea neque ignea neque terrea aut aërea,
quia corpus ab Elementis tantopere remotum ex iisdem constare
minimè potest.

4. Neque est quod quis cum Plinio Et Epicuro maculis in
disco Lunari moveatur, quasi illa non sint aliunde, quam ab
humoribus Et sordibus terrenis, quibus Luna pascatur; quan-
doquidem ea nihil sunt aliud, quam accidens quoddam
corporis Lunaris propter heterogeneas partes ejusdem,
siquidem densiores minus lucis combibunt, quam ra-
riores, ideoque obscuriores conspiciuntur. Vid. Schonborn. in
lib. 2. Nat. hist. c. 9. Plinii.

5. Forma Lunæ, quanam Et qualis sit, humana menti
A 3 edisse-

929
edifferere non est concessum, cum paucissimarum rerum veras
pervidere queamus causas. Certum tamen est hoc, eam non tan-
tum à stellarum fixarum, sed & erraticarum esse diversissimam,
id quod ex operationibus ejus multam partem patescit.

6. Finis & usus Lunæ est vel primarius vel secunda-
rius.

7. Primarii meminit Moses Gen. 1. ejusque duplicis, quo-
rum alter est, ut præsit nocti, suoque splendore tenebras
ejus discutiat & temperet; alter verò est, ut motu suo de-
scribat tempora & menses.

8. De illo etiam Plinius l. 2. c. 9. Omnium, inquit, admiratio-
nem vincit novissimum sidus, terrisque familiarissimum & in tenebrarum
remedium à naturâ repertum. Et David Psal. 104, vers. 19. Fecit
Lunam in stata tempora, Sol cognovit occasum suum.

9. De hoc concionatur quoque Sirach dicto capite 43, v. 8.
Ἰπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς, Φωτῆρ μεύμεν ἐπὶ σωτελείας.
μὴ κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστὶν, ἀυξανόμενη θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώ-
σῃ. A Lunâ signum diei festi: Luminare quod minuitur in
consummatione. Mensis secundum nomen ejus est cre-
scens mutabiliter in mutatione.

10. Fines secundarii, quos magis usu quam ratione de-
prehendimus, varii, at inter illos potiores sunt: Primò incremen-
to suo & decremento humores corporum augere & minuire; unde &
Humida appellatur, scilicet propter imperfectiorem caloris sui vim, hu-
morem, quem alias Solis radii absumunt, tantum solvens vel etiã augens.
Hinc est quod carnes Lunæ citius quam Soli expositæ putrescant.

10. Secundò, herbis ac stirpibus vi à se manante, nutrimentum,
incrementum & maturitatem impertiri.

11. Hinc arbores Lunâ plenâ vel etiam crescente casæ humore abundans, fabri-
cæque sunt ineptæ ac carie citius corrumpuntur.

12. Hinc ostrearum ac conchyliorum cancrorumque corpora, nec non ipsa ani-
malium cerebra cum Lunâ crescere pariter pariterque decrescere deprehendimus,
Gellius lib. 20. c. 8. Lang. Epist. Med. l. 1. Ep. 13.

13. Causas

13. *Causam quoque huius rei annotat ipse Philosophus lib. 4. de part. anim. c. 5. p. 1179, ubi: εν τῷ ψύχει, inquit, καὶ ταῖς ἀλεί-
μασι πονῶσι πάντα τὰ ἀσρακόδεσμα, καὶ φέρειν εἰ δύνανται τὰς
ὑπερβολάς. Σημεῖον δὲ τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τῶν ἐχίνων. εὐθύς τε γὰρ
γινόμενοι ἔχουσι, καὶ ἐν ταῖς πανσελεύοις μάλιστα, εἰ διὰ τὸ νέμεσθαι
(καθάπερ τινὲς οἰοῦνται) ἀλλὰ διὰ τὸ ἀλγεινότερας εἶναι τὰς νύκτας,
διὰ τὸ φῶς τῆς σελεύης.*

14. *Tertio, Luna quoque ascribitur, quod infantes interlunio nati im-
becilliores sint, pluribusque agrotationibus obnoxii; nec non humorum de-
fluxu orti morbi incremento Luna valde ingravescant, decremento vero
non item.*

15. *Hinc quoque est, quod boni Agricola studiosè vitent, ne matricibus Gallinè
ova incubanda Lunà silente subjiciant.*

16. *Quarto, Aestus quoque maris ab utriusque quidem luminaris
motu, à diurno tamen Luna comprimis dependet. Hinc effervescent & in-
surgit mare Lunà ab Horizonte Orientali ad fastigium caeli sese attol-
lente, vel etiam ab occidentali versus imum caeli descendente, eademque ad
summum imumve caeli delatà, in summo fervore subsistit litora omnia
complens. Contrahit autem & recipit sese vicissim, Lunà à meridiano
versus Horizontem occidentalem descendente, & ab imo caeli ad ortum
assurgente, ut existente in Horizonte utroque maxime subsidere & litora
sua deserere videatur. Qui fluxus & refluxus ita sunt affecti, ut in Novi-
luniis & pleniluniis consentiente actione utriusque luminaris, validissimi,
in quadraturis vero, agentibus in contrarium luminaribus (incitante uno,
retrahente altero) remissiores sint ac elangvescant. Origanus in praefat. super
secund. Ephemerid. partem.*

17. *Quid? quod & dies illi decretorii κρείσιμοι seu κριτικοὶ critici,
seu sunt septimus, (à quo Luna ad signum naturæ contrariæ illi, quo
morbus coepit, semper pervenit) & decimus quartus &c. quibus na-
tura cum morbo manifestum deprehenditur certamen, ac maxima mu-
tatio incidit vel ad salutem vel mortem, à motu Luna præcipue guber-
nantur.*

18. *Si enim tunc reliquorum Planetarum consensu morbo adversetur, natu-
ramque ægri contra morbum roboret, eum vel finit, vel ejus vehementiam multum
frangit; quod si vero cum morbo consentiat, & in naturæ perniciem conspiret, non so-
lum eandem auget, sed & naturam evictam prorsus extinguit. Origan. ibid.*

19. Sum-

927
19. *Summatim* ἡ σελήνη διὰ τὴν πρὸς ἥλιον κοινωνίαν καὶ τὴν
μετάληψιν τῆς φωτὸς, γίνεται ὡς ἡ ἀλλοῦ ἡλιου ἐλαττων. διὸ
συμβάλλεται εἰς πάσας τὰς γενέσεις καὶ τελειώσεις. Luna pro-
pter Solis societatem receptionemq; Lucis, fit quasi alter Sol mi-
nor, quomobrem conducit ad generationes perfectionesq;.
De Generat. anim. l. 4. c. 10.

MEMBRUM TERTIUM.

1. Affectiones Lunæ sunt vel magis absolutæ vel ma-
gis respectivæ.

2. Absolutæ magis sunt: Quantitas, distantia à Terrâ,
& Motus.

3. Quantitas à Tychone ex Eclipsibus & parallaxibus lib.
1. Progym. c. 7. supputatur, & quidem vel respectu Terræ vel
respectu Solis.

4. Respectu Terræ ita, ut presupponatur, quòd Luna,
cum est à nobis remota 60. circiter semidiametris terræ, visibi-
lem sui corporis diametrum exhibeat minorum 33. (id quod
congruere asserit observationi) adeoq; dimetientem terræ dia-
meter Lunæ contineat ter cum $\frac{23}{49}$ atq; ita sit proportio lunaris
Diametri ad terrestrem fermè qualis 2. ad 7. Quinumeri si
excipiantur cubicè, id quod leges Geometrica jubent, producent
terram majorem esse Lunâ $42\frac{7}{8}$.

5. Respectu verò Solis quantitas Lunaris corporis sup-
putatur 1. Ponendo distare Solem à Terrâ semidiametris hujus
1150.

6. 2. Statuendo Solis dimetientem visibilem in suâ sphaerâ
occupare spatium minorum 31.

7. 3. Ex diametro 1150. concludendo circumferentiam, di-
cendog; 7. dant 22. quantum dabunt 1150. & proveniet circum-
ferentia circuli solaris dimetientium Terræ $3614\frac{2}{7}$.

8. 4. In.

8. 4. *Integrum circulum, qui constat gradibus 360. resolvendo in minuta 21600. quod valium 31. corpus solare in sua sphaera complet, dicendoque 21600. dant diamet. 3614. quantum dabunt 31. & contractione numerorum facta prodibunt*
 $5 \frac{1}{5}$.

9. 5. *Hoc productum multiplicando iterum cubicè elicies Solis quantitatem majorem esse globo terrestri vicibus 140 $\frac{2}{7}$. ferè, pro quo Tycho Brabeus ponit numerum integrum. 140. dicitque, corpus solare neque multò majus, neque multò minus esse posse, ob accuratas à se adhibitas observationes.*

10. 6. *Quo peracto, ponamus cum eodem Tychone Solis Diametrum Dimetientem Lunæ in se continere 18. ius; & multiplicatione cubicâ factâ evadet, quòd Sol Lunam quantitate vincat 5832.*

11. *Distancia Lunæ à Terrâ, eaque maxima statuitur esse 61. semidiametris Terrenis, quas in milliaria si resolveris per 860. provenient 52460. Minima verò Semid. Terræ 52. quæ faciunt milliaria 44720.*

12. *Motus (Φορά) Lunæ est vel communis vel proprius.*

13. *Communis, qui & diurnus, πρώτη Φορά primus motus dicitur, est agitatio, quâ continuâ primi mobilis conversione Luna unâ cum omnibus sideribus reliquis ab ortu in occasum spacio 24. horarum circumvolvitur.*

14. *Proprius, qui & Φορά δευτέρα motus secundus dicitur, est agitatio, quâ Luna in sphaerâ propriâ s. s. s. circa Zodiaci axem ab occasu in ortum fertur signiferumque spacio dierum 27. h. 7. minut. 43. secund. 5. percurrit.*

B

15. Hu-



15. Hujus hinc observetur per circulos demonstratio, ejusque secundum longitudinem & latitudinem, κατὰ πλάτος & μήκος, consideratio.

16. Etenim, cum Luna non in diversis tantum, sed & iisdem Zodiaci locis modo velocior, modo tardior; modo depressior, modo sublimior; aliàs aqvilonarior, aliàs australior nobis è longinqvo aspicientibus deprehendatur, ac bis tantum per mensem in Eclipticâ reperiatur, ad hæc Φαινόμενα commodiùs explicanda, Artifices in spherâ ejus excogitarunt orbem diversos, nempe deferentem unum, eumque à terrâ plerumque eccentricum, sed tamen & concentricum interdum, sicuti mox explicabitur, & duos Epicyclos, unum majorem, alterum minorem.

17. Deferens, qui & capitalis, est qui circumjicitur Terræ, gestans immediatè centrum Epicycli majoris, & s. s. s. promovens indies $13^{\circ} 10' 35''$, ita ut restitutio contingat diebus 27. h. 7. m. 43. sec. 5. quod tempus mensem periodicum vulgò nuncupare consuevimus.

18. Epicyclus major est, qui in suâ circumferentiâ vehit Epicycli minoris centrum motu reflectente contra motum orbitæ deferentis & exordiente ab Apogæo proprio, (nempe Epicycli majoris.)

19. Motus, qui fit in hoc Epicyclo, dicitur anomalia Lune simplex. Radius ejus ad radium deferentis habet se ut 1. ad 17. ferè.

20. Epicyclus minor est, qui corpus Lunare circumferentiæ suæ velut infixum profert in inferiore parte c. s. s. & in parte superiore s. s. s. incipiendo à Perigæo suo.

21. Motus, quem Discus Lune in hoc circulo observat, dicitur ipsius anomalia duplex; & radius ejus ad radium Epicycli majoris est ut semisis ad integrum.

22. Ipse

22. Ipse Motus Lunæ spectatur primò penes longitudinem à principio Arietis in subsequentiâ signa; & deinde penes latitudinem ad alterutrum latus mundi vel meridionale vel septentrionale; & quidem secundum explorationes Tyconicas in Noviluniis & pleniluniis ab Ecliptica 4.p. 58/30//; in quadraturis verò 5.p. 17/30//. Lib. 1. progym.c. 1.p. 0 27.

23. Caterum motus Longitudinis est vel genuinus & essentialis vel adscititius sive adventitius.

24. Genuinus, qui & essentialis & internus audit, absolvitur circulis jam dictis, Deferente ac duplici Epicyclo.

25. Adventitius, qui & extrinsecus appellatur, rursus est duplex. Alius enim respicit centrum deferentis, alius centrum Epicycli.

24. Ille abripit centrum rotatq; in orbiculo per terram descripto tali lege ac normâ, ut in Syzygiis luminarium veris centrum Deferentis centro Terræ uniatur: in quadraturis verò Terræ opponatur totâ diametro dicti circelli; at in sextili, & ceteris extra copulas articulis temporum sit intermedio loco & ad latus diametri circelli.

25. At verò hoc ipso centrum illud super circumferentiâ deferentis libratur hinc inde intervallo 40/30// Quæmodum hæc omnia satis accuratè explicat Cl. Dn. L. Philip. Müller, Præceptor noster plurimum meritis, in Isagoges suæ Astron. parte alterâ mihi communicata cap 6.

26. Motus Lunæ in latitudinem hic est, quo uterq; Nodus & ascendens sive evehens $\sigma\omega\delta\epsilon\sigma\mu\delta\varsigma$ ἀναβιβάζων, qui caput; & descendens sive devehens, qui cauda Draconis salutatur, unâ cum limitibus inclinationis orbitæ seu viæ Lunaræ ad Eclipticam paulatim revocatur in antecedentiâ, id est, fertur diètim 3/11//, atq; ita 19. annorum spacio ferè unam periodum absolvit.

B 2

27. Ille

931
27. Ille est quasi principium latitudinis Borealis, à quo Luna digrediens attollitur in septentrionem: Hic verò est ceu principium latitudinis Austrinæ, à quo Luna discedens vergit in meridiem.

MEMBRUM QUARTUM.

1. Affectiones Lunæ magis respectivæ, scilicet ad Solem habentes respectum sunt: Conjunctio, Illuminatio, & Obscuratio.

2. Conjunctio, σύνodus & congressus, νεομηνία Novilunium, interlunium, item coitus fit, luminaribus sub eadem Zodiaci parte constitutis; nec commodè inter Φάσεις referri potest, quandoquidem tunc de Lunâ collustrat à nihil apparet, unde ἀφώτιστος, Luminis expers, & Plinio silens, nova & intermestris dicitur.

3. Illuminatio est, quâ Luna diversimodè à Sole illustratur, ita ut lumine modò augeri, modò minui videatur. Quâ de variatione bellè admodum loquitur Menelaus apud Sophoclem:

- Σελήνης ὄψις εὐφρόνας δύο
σηναί δύναιτ' ἀν' ἔποτ' ἐν μορφῇ μιᾷ
ἀλλ' ἐξ ἀδήλας πρῶτον ἔρχεται νέα,
πρόσωπα καλλιώσα, καὶ πληρημένη.
χ' ὅταν περ αὐθις εὐγενεσάτη Φαίη,
πάλιν διαρρεῖ, καὶ πῖ μὴδ' ἐν ἔρχεται.

- Luna nunquam potest imaginem
Unam gerens noctes duas consistere:
Sed ex tenebris primulum prodit nova,
Vultumq; plenâ luce collustrat suum,
Statimq; postquam visa formosissima est,
Tum affluens mox in nihilum reducitur.

Vide Zehnerum in Similit. Biblicis Sim. 105. pag. 216.

4. Priusquam ad varias Φάσεις seu apparentias Luminis in

932
nis in Lunā fiat transitus, non sicco quidem pede prætereun-
da est illa quæstio supra quæ, tacta: an Luna proprium &
congenitum habeat lumen? Cùm verò rationes illæ, quæ
pro lumine genuino faciunt, videantur solutu faciliores, ce-
leberrimiq; illi Astrorum consulti Tycho Brahe, lib. 1. progym.
cap. 10. p. 743. Keplerus in Opticæ Astronomia parte cap. 7.
pag. 278. & Origanus in Præfat. super 2. part. Ephemeridum
in negativam inclinent, dubitare & ipse de quæsito potius,
quàm temerè aliquid asserere volo, (quandoquidem, juxta
illud Lipsianum, non decipit qui aliquid ambigit) placi-
dam super hac quæstione συζητησιν expectaturus.

5. Φάσεις seu apparitiones Lunæ sunt, quando Lunæ
discus, qui prius in conjunctione sub radiis Solis latuerat,
iterum supra Horizontem incipit conspici, & quasi nasci, do-
nec fiat plena; ac deinde paulatim decrefcit, donec rursus ap-
pareat nova.

6. Apparitiones itaq; sunt duplices; aliæ enim sunt
Lunæ nascentis sive adolescentis & crescentis, aliæ decre-
scientis & senescentis.

7. Lunæ nascentis usq; ad plenilunium Φάσεις sunt 4.
1. Prima Luna, Græcè *μηνοειδής* sive *νεγατοειδής* falca-
ta, corniculata & gibbosa, quæ fit, quando Luna digrediens
à Sole versus ortum bicornis cernitur. Taliq; effigie propter
Zodiaci & Horizontis obliquitatem, nec non ipsius Lunæ
latitudinem, itemq; diversitatem motus aliàs seriùs quarto
vel tertio post conjunctionem die, aliàs citiùs & rariùs se-
cundo, rarissimè verò eodem, ubi ἐν ἡμέρᾳ prima & novissi-
ma dicitur, conspicua fit. Complementum hujus Phaseos est,
cum à Sole abest duobus signis.

8. 2. Secunda Luna, *διχοῦρου* ☾, dimidiata sive qua-
drata, quæ accidit septimo aut octavo à conjunctione die,
quando à Sole quadrante circuli distat, & semiplena apparet.

B 3

9.3. Ter-

9. 3. Tertia Luna, ἀμφίκυρτος ☾, gibbosa triangula dicta, contingit undecimâ post novilunium die, quando lumine quotidianis auctibus crescente turgescit.

10. 4. Quarta Luna, πανσέληνος ☽ plenilunium & pernox vocitata, evenit ab interlunio die decimo quarto ferme, quando longissimè à sole digressa diametri spacio disjungitur, totaq; nocte pleno fulgens orbe cernitur.

11. Apparitiones Lunæ decrescētis sunt totidem, quot nascentis, sed ordine inverso, ita ut primò sit πανσέληνος ☽, deinde fiat ἀμφίκυρτος, postea διχότομος ☾, & tandem μηνόειδης.

12. Obscuratio Lunæ dicitur ἐκλείψις διὰ τὴν ἐκλείπην à deficiendo, quod Luna interdum lumine deficiat & obscura appareat. Estq; privatio luminis solaris mutua-titii in Lunâ propter diametralem (vel huic proximam) inter Solem & Lunam interpositionem Terræ, cujus umbram ingreditur, suumq; tandiu amittit lumen, donec proprio suo motu rursus ex terræ umbrâ eluctetur, atq; à Sole iterum illustretur.

13. Cum enim, ut antè quoq; dictum aut tactum potius, Luna suâ naturâ statuatur corpus nequaquam luminosum, sed densum & opacum, idq; luminis, quod terris ostendit, à Sole hauriat, accidit, ut si Sol, Terra & hæc in medio, atq; Luna in unâ constituentur lineâ ex centro Terræeductâ & utrinq; per utriusq; luminaris centra transeunte, Solis radii impediuntur, ne Luna corpus illustrare queant.

14. Verum quæritur hîc, an sola Terræ umbra Eclipsatrix esse possit? Id quod commemorabili usus modestiâ venerandæ antiquitati negat Keplerus, in suis paralipomenis Opticis cap. 7. demonstrans, quod umbra solius Terræ non semper attingat Lunæ cælum apice suo, & nihilominus tamen hæc patiatur Eclipsin, idq; propter aëris umbram, quæ
illam

934
illam à Terrâ projectam complectatur & prolonget, sicq; simul causam ruboris præbeat; qvi nimirum nihil sit aliud, quàm illustratio Lunæ à Solis radiis per aeris densitatem transmissis, & intrò versus axem umbra refractis.

15. Aliàs Eclipsis Lunæ est vel totalis vel partialis.

16. Totalis ἐκλειψις τελεία est, quando Luna toto corpore umbram Terræ ingressa deliquium patitur.

17. Hæc rursus est vel cum morâ vel sine morâ.

18. Eclipsis Lunæ totalis cum morâ est, quando Luna tota per aliquod tempus in umbrâ obscurata manet.

19. Contingitq; disco Lunari vel præcisè absq; ullâ latitudine in Nodis versante, dicta totalis major; vel minorem habente latitudinem semidiametris umbrae & Lunæ simul junctis, appellata Eclipsis totalis mediocris.

20. Eclipsis Lunæ totalis sine morâ est defectus Lunæ, quando latitudo ejus æquat diametrum visualem. Dicitur aliàs totalis minor.

21. Eclipsis Lunæ partialis est, quando pars Lunæ tantum obscuratur. (nor.

22. Hæc rursus vel est major vel dimidiata vel mi-

23. Major accidit, quando Luna habet latitudinem semidiametro umbrae minorem, scil. min. 30.

24. Dimidiata contingit, quando latitudo Lunæ est æqualis semidiametro umbrae, min. 41.

25. Minor evenit, si Luna habuerit latitudinem majorem semidiametro umbrae. Atq; ita quò major fuerit latitudo Lunæ, tantò minor causatur Eclipsis.

26. Plura essent imò plurima, quæ hisce de parallaxibus Lunæ & Eclipsium effectis nec non aliis annekti, prioribusq; interseri potuissent; verum cum ea sint & generaliora, & plerq; accuratiorem ac prolixiorum ab hoc loco alienam explicationem efflagitent, cano hîc receptui, & colophonidis loco subjungo hasce — Quæ-

Qvæstiones:

1. *An primi parentes æquè vocari queant Protoplastæ ac protoplasti? N.*
2. *An opus sit ex mente Grammaticorum ad excusandum illud scansionis in Virgilio lib. 1. Æn. v. 503. Exercet Diana Choros, statuere Diastolen? N.*
3. *An proprium possit communicari? D.*
4. *An omne proprium sit convertibile? D.*
5. *An liceat hodiè quog, ὀνοματοποιεῖν; D.*
6. *An verba obsoleta & jamdiu quasi sepulta ac insolentiarevocans sit probandus & imitandus? N.*
7. *An dato igne elementari sub concavo Luna, ille urat? N.*
8. *An omnia meteora καὶ ὑπεραστὴν sint corpora perfecta? A.*
9. *An Etymologia τῆ μετεώρου conveniat omnibus speciebus Meteororum? A.*
10. *An sonus ex campanarum pulsu tempestatis tempore dispellat nubes, ut cessent tonitrua? N.*
11. *An aurum nutriat?*
12. *An homo pransus se ipso jejuno sit gravior? A.*
13. *An coenandum quàm prandendum largius?*
14. *An anima vegetativa etiam quoad formam insit animali? N.*
15. *An Venus quippe major Lunâ quoq; Eclipsin solis caussare queat? N.*
16. *An Sol quoq; patiatur Eclipsin? N.*
17. *An fieri possit Eclipsis solis totalis?*
18. *An Eclipses sint causæ efficientes calamitatum?*
19. *An pro fortiori habendus sit is, qui subitanea, an verò qui provisâ pericula imperterrito subit animo? Aff. de hoc.*
20. *An juramentum à latrone de tradendâ certâ pecunia summâ vi extortum sit rescindendum? N.*

F I N I S.

Τῶ Θεῷ μόνῳ ἡ δόξα εἰς αἰῶνας.




ULB Halle
006 682 146

3



KD 77







888
14
1630,3

ΦΙΛΟ-
N

LOSO-

A,
ensi,
udatissimi

O
tionis secunda
rentis

ER HEIN-
ranco.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

Xixsch.

